

46.356


S Y N O D U S

DIOECESANA VALENTINAE

TIAE CELEBRATA

PRAESIDE MARTINO

Ayala Archiepiscopo Va-
lentino.



VALENTINAE

Apud Alvarum Francum, & Gabrielem Ribas

Anno 1594.

Primum vero ex officina *[illegible]* Mey an. 1566.

14
15
16
17

R 46.356


SYNODVS

DIOECESANA VALEN-

TIAE CELEBRATA

PRAESIDE MARTINO

Ayala Archiepiscopo Va-
lentino.



VALENTIAE.

Apud Aluarum Francum, & Gabrielem Ribas


Anno 1594.

Primum vero ex officina Ioan. Mey an. 1566.

*Hæc autem Synodus prima mensa
fuit Valentie ex Chalcographia Joan-
nis Alcy an. 1566.*

ACTIO PRI- MA IN VRBIS VALEN- TIAE METROPOLITANO

*templo habita die quinto mensis Maij, anno
a Christo nato millesimo, quingen-
tesimo, sexagesimo sexto.*



*A solet esse morum pro-
temporis vicissitudine va-
rietas, ut nisi novis subin-
de legibus hominum men-
tes excolantur, ex ipsa ad
malum propensione, & li-
bera peccandi consuetudine veterem illam,
ac laudabilem Ecclesiasticam disciplinã labi
ac propemodum interire sit necesse. Ut enim,
agri, nisi crebrius, & diligenti cultura exer-
ceantur, ipsæque renascentes spine sedulo
euellantur, inutiles plane redduntur, & pro-
fruge bona, tribulos tantũ, & nocentia pro-
ferunt; ita ecclesie nisi salutaribus institutis
frequentius exculta fuerint; & decorẽ suũ*


4 ACTIO PRIMA

amittunt, & earum ministri deteriores quo-
tidie fiunt. Merito igitur sacrosancta &
œcumenica Tridentina Synodus instituit, ut
præter prouincialia Concilia, quæ tertio sal-
tem quoq; anno congreganda esse decreuit,
Synodi etiam diœcesanæ singulis annis ha-
beantur. ut earum Beneficio corrupti mores
emendentur, boni ac vtilis conserantur, &
renouatis per sæpe sanctissimis institutis di-
uini cultus indies acrescat. Cum igitur in
prouinciali Concilio, quod nuper in hac Me-
tropolitana ecclesia celebratū fuit, toti Pro-
uinciæ fuerit prospectum; & de his, quæ eõ-
munia erant, ea decreta sancita fuerint, quæ
magnam Prouinciæ utilitatem sint allatura;
hoc certe vnum tantum supererat, ut quæ
huic diœcesi propria essent, conuocato diœce-
sano cœtu, diligenti etiã cura, & studio tra-
ctarentur. Quare his rationibus adducti, &
ut sanctorum Patrū, sacræque Tridentine
Synodi præceptis pareamus, nos Martinus
Ayala Dei, & Apostolicæ Sedis gratia
Archiepiscopus Valentinus pro munere no-

bis

ACTIO PRIMA. 5

bis iniuncto huic nostræ diœcesi, quantum in
nobis est, consulere cupientes, hanc diœcesa-
nam Synodum, quam ad vigesimum quintū
diem mensis Aprilis præsentis anni mille-
simi quingentesimi sexagesimi sexti indixe-
ramus, duximus celebrandam. Ut scilicet di-
ligenti consultatione, & multorū simul sen-
tentis inter se collatis, ea decernantur, quæ
cunctis huius diœcesis ecclesiis sint profutu-
ra, & eorum obseruatione ecclesiarum pax
conseruari, & Dei cultus multo magis au-
geri, & amplificari possit.



A 3

APPRO-

APPROBATIO ET RE-
CEPTIO CONCILII
PROVINCIALIS

Cap. I.



Quoniam latè in prouincia leges
singulis illius dioecesibus com-
munes esse debent, illisq; cõ-
prouinciales omnes deuinciuntur, hæc dice-
cesana Synodus principiò Conciliū, quod
nuper in hac prouincia habitum est, om-
niaq; eius decreta probat, recipit, ac mo-
dis omnibus obseruanda admittit. Sperat
enim fore, vt sanctis illius constitutioni-
bus cleri, & populi moribus reformatis,
maiore animi tranquillitate facilius ac lau-
dabilius Deo in posterum seruiatur.

*Ludis, saltationibus, & aliis, quæ profane fi-
unt, ecclesiastici abstinere debent.*

Cap. II.

Meritò non solùm arguendi, sed graui-
bus etiam poenis coercendi sunt, qui
eccle-

ACTIO PRIMA. 7

Ecclesiastico munere indigna faciunt.
Quare nos Martinus Ayala Archiepi-
scopus Valentinus, approbante Syno-
do, mandamus, ne ullus sacris ordinibus
initiatus pila, aut aliis ludis publicè ludat:
ac ne etiã in Missis nouis, aut nuptiis sal-
tationibus, aut choreis dare operam auit:
ne etiam laruatus, aut personatus unquã
incedat: ne ve instrumenta musica pullan-
do, aut per vicos profano more cantando
vegetur. Quæ omnia in virtute sanctæ o-
bedientiæ, & sub poena etiã sex argenteo-
rum præcipimus. Qui verò hoc nostrum
mandatum secundò fuerit transgressus,
duplicata hac pecuniæ mulcta puniatur: et
qui crescente magis cõtumacia aduersus
idem hoc statutum deliquerit, is acerbio-
res poenas Ordinarij arbitrio luat. Quarũ
rerum diligenter inquirendarum curam
Visitatori, et ministro Fiscali demãdamus.

*Qui sacris initiati sunt, spectaculis publicis
ne intersint. Cap. III.*

A 4

Cum

CVM iis spectaculis, ex quibus hominū interitus, & animæ pericula per sepe, ac frequēter accidere solēt, interesse minimē liceat; ij verō qui sacris sunt initiati, non solūm prohibita vitare, sed aliquādo, ne vllam cæteris dent offendiculi occasionem, iis etiā abstinere debeant, quæ laicis sunt permissa, Ideo omnes sacris ordinibus initiatos monemus, ac in domino hortamur, vt publicis omnibus spectaculis abstineant, siue eiusmodi sint, in quibus equites hastis inuicem cōcurrunt, vel emisis vtrō citroq; arundinibus ludunt, siue alij quicunq; publici ludi, aut certamina fiant. Cæterum eisdem omnibus in sacris ordinibus constitutis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne publicis taurorū spectaculis intersint, aut eiusmodi torneamentis, in quibus sanguis facilè funditur, & mors etiam sæpe consequi solet. Si quis verō sacris initiatus adeò temerarius fuerit, vt non solūm taurorum spectaculis adesse, sed etiam decertantiū

more

more taurum prouocare, fugere, ac insequi non vereatur, excōmunicatione latæ sententiæ sit adstrictus. Porro templa in iis plateis sita, in quas ad eiusmodi taurorum spectacula conuenitur, omnino claudi eo tēpore, quo cum tauris decertatur, aut luditur, mandamus. Transgressoribus verō multā duarum librarū imponimus.

De vestibus eorum, qui in sacris ordinibus sunt constituti. Cap. IIII.

IN concilio nostro prouinciali statutum fuit, omnes in sacris ordinibus constitutos, vestibus vti debere talaribus: cui decreto, sacra approbante Synodo, adiicimus, vt altera saltem eorū vestis ita sit vel integra, vel fibulata, vt nihil indecorè ostēdari possit: ac illud etiam, ne in templis, cū sacra fient, galero, vel canabinis soleis, aut sparteis vtantur: vt totus ipse habitus congruentem sacro ordini honestatem præ se ferat.

A 5

Ad

Ad distributiones quotidianas ne admittatur qui canere nescierit. Cap. 5.

Quoniam cantus ad ea munia obeunda, quæ in ecclesiis exequi oportet, necessarius est; idcirco approbante Synodo, mandamus, ne ullus in ecclesiis nostræ diocesis ad quotidianas distributiones admittatur, qui cantu saltē planiore canere nescierit: ita ut eum tantum Rector, decē alioqui libras soluturus, ad distributiones admittere debeat, qui Evangelium, Epistolam, Præfationem, Lectionem, Responsorium, & Antiphonam decantare sciat: nisi forte talis fuerit, qui alioqui ob insignem eruditionem frugi atq; utilis ipsi ecclesiæ à nobis iudicetur. Ij vero, qui sunt iam ad distributiones admissi, si horum ignari fuerint, hæc ipsa intra annum vnum canere discant. Quo quidem anno peracto, se intra mensem vnum coram personis deputandis sistant, de eare examini subituri. Quod nisi fecerint, ipsos Rector sub eadem decem librarū pena quo-

na quotidianis distributionibus priuet. Illos tamen excipimus, qui legitimo aliquo impedimēto, vel senectutis, vel alio à nobis, aut Vicario nostro generali approbādo fuerint præpediti.

De vespere & matutino officio.

Caput. 6.

VT diuinus cultus in hac nostra diocesi cōtinuò magis augeatur, statuimus S. a S. in oppidis, in quibus id commodè fieri poterit, diebus saltē dominicis & festis colendis vespere cantari oportere. Vbi verò usu non est receptum, ut matutinum officium sequētibus festis dicatur, præcipimus, ut præter matutinum officiū, quod in ipso natalis domini profesto, & in triduo ante Pascha dicitur, matutinum etiam officium sancti, cui templum consecratum fuerit, Resurrectionis domini, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis beatæ Mariæ, Apostolorū Petri & Pauli, & omniū sanctorū diebus ipsi

ipsis pro festis, si non pleniore cantu, submissiore saltem post ipsum statim cōpletorium decantetur. si quis verò ex presbyteris, vel beneficiatis matutino officio his diebus interesse noluerit, is nihil emolumentum ex primo actu, aut primo perpetuali referre valeat. In iis tamen ecclesiis, in quibus matutinum officium prædictis festis aut media nocte, aut alia quacumq; hora dici consuevit, eū vsum auferre præfenti statuto nequaquam volumus, sed eundem illum morem sedulo obseruari mandamus.

Conciones feria sexta in Parasceue noctu fiant. Cap. 7.

VT nocturna pericula & scādala, quantum in nobis est, euitentur, prohibemus, ne eæ conciones, quæ de Christi passione feria sexta in parasceue ad populū haberi solent, ante ipsum solis ortū inchoentur, ac ne ultra horam vnā & dimidiam aut ad summum duas protrahantur.

Quibus

Quibus diebus missa conuentualis pro populo celebranda sit. Cap. 8.

NE populus spiritualib⁹ suffragiis priuetur, placuit nobis S. a S. vt vbi cōsuetudine receptum fuerit, tam intra ciuitatē, quā extra, singulis diebus missam conuentualem pro populo celebrari, idē mos in posterum obseruetur. In iis verò ecclesiis, in quibus ea consuetudo nondū inualuit, si beneficium curatum ducentarum librarū valorem attigerit, quas verē in suum vsum Curatus recipiat, Curatus ipse quotidie per se, aut per aliū missam pro populo celebret. Ita tamen, vt cūm pro defuncto, præfenti corpore; vel pro nouis nuptiis; vel iuxta quorundam morem pro defunctis semel in hebdomada; aut in sabbatis de beata virgine missam celebrabit, dummodo in ea pro populo oret, eius missæ celebratione sit illo die populo satisfactum. quòd si minus, quā ducētas libras curatus pro beneficio percipiat, diebus tantūm dominicis & festis colen-

colendis pro populo missam celebrare te-
neatur. In oppidis tamen eorum, qui sunt
nuper ad fidem conuersi, etiamsi beneficij
curati redditus ad summam ducentarum
librarum perueniant, ter in hebdomada
missa pro populo celebretur.

*In baptisimi & extremae vnctionis admini-
stratione an aliquid capi debeat.*

Caput. 9.

Cum sacramenta sine vlla specie qua-
stus administrari debeant; cerei autē
capitæq; vsus in administratione baptis-
mi sit in Ecclesia vetustissimus; statuimus
S. a S. vt cūm alicui hoc sacramentum cō-
ferendum erit, in arbitrio & optione ip-
sius committis sit positum, cereum & ca-
pittam deferre. quōd si id ipsi non placue-
rit, possit curatus pro cereo & capitta no-
uem numos iuxta morē recipere. Ob ad-
ministrationem tamen sacramenti extre-
mæ vnctionis nihil curatus percipiat.

Quod quidem extremae vnctionis sacra-
mentum

mentum iis tantūm conferatur, qui iuris
constitutione ad peccatorum confessio-
nem faciendam sunt iam obligati.

De Breuiario, Diurnali, & Missali.

Caput. 10.

Cum hæc nostra diocesis Breuiario, &
Missali, quæ apto, conuenienti q; or-
dine composita sint, iam pridem indigeat,
sitq; iam ferē vtrumq; non mediocri stu-
dio, ac diligentia peractum, meritō tota
hæc diocesana Synodus tam Missale ip-
sum, quā Breuiarium cum Diurnali se
admissuram esse promisit. Nos verō ea-
dem ipsa approbante Synodo, omnibus
nostris diocesanis Beneficiatis, & in sa-
cris ordinibus constitutis auctoritate no-
stra ordinaria mandamus, vt cum Breuia-
riū ipsum typis fuerit excussum, illo pre-
ces horarias persoluant: vtq; in Missis cō-
uentualibus celebrandis Valentino Mis-
sali, quod prope diem in lucem edetur, &
non alio, in omnibus ecclesiis vtantur. Vt

verō

verò in Missarum, totiusq; diuini officij celebratione vnus, idēq; ritus in tota diocesi seruetur, præcipimus, vt rituum Missæ, & ceremoniarū Ordinarius liber, quādo à nobis editus erit, ab omnibus recipiatur, & iuxta illius regulas cæremoniæ & ritus in diuinis officiis obseruentur.

Nullus regularem, vel exemptum testamenti sui executores constituat. Cap. II.

Quoniam testamentorū executores, quos manumissores vulgò dicimus, si nostra iurisdictione exempti fuerint, neq; compelli, vt ea impleant, ad quæ eo nomine obligantur, neq; vllis pœnis ad rationem reddendam à nobis adigi possunt; ideo ne piæ testantiū voluntates debitis suffragiis defraudētur, S. a S. sub excommunicationis pœna præcipimus, ne vllus testamenti sui executores constituat, vel regularem aliquem, vel alium, qui nostræ iurisdictioni non sit subiectus. Notariis etiam sub eadem excommunicationis

pœna

pœna mandamus, ne, cū eam testamenti clausulā conscribēt, in qua de executoribus agitur, hosce exemptos ad testamenti executionē admittant. Si quæ verò clausulæ in testamentis positæ fuerint, in quibus eorum conditores ab obligatione rationis prælato reddendæ executores ipsos eximant, cū nulla id autoritate, vel iure ab eis fieri possit, omnes eiusmodi clausulas irritas, & nullius omnino valoris esse declaramus.

Testamentorū clausulæ, in quibus pia opera demandata sunt, in singulis ecclesiis in libro describantur: singulæ etiā ecclesiæ visitationis librum habeant.

Caput. 12.

Pis testantium voluntatibus consulentes, vt certius pia opera in animarum suffragium ab ipsis relicta impleantur, Capitulis & Rectoribus. S. a S. sub decem librarum pœna præcipimus, vt in singulis suis ecclesiis librum vnū habeant, in quo

B

omnes

omnes testamentorum clausule, quibus pia opera in animarum suffragium perpetuo in illis ecclesiis agenda demandantur in forma, ut decet, autentica, expensis ex iis, que a testatoribus relinquuntur, desumptis conscribantur. Quod idem de iis, que hactenus demandata sunt, intra annum unum diligenter etiam fiat. Notarij vero, qui ad huiusmodi testamentorum clausulas exhibendas difficiliore fuerint, intelligant, se a nobis iustis poenis ad id esse compellendos. Librum etiam Visitationis singule ecclesie sub eadem decem librarum poena habeant, in quo ornamenta omnia, & ecclesie bona inuentario ordinatim disposita; omnesque rationes Visitatori redditae, & ab eo probatae; & que etiam visitationis nomine mandata fuerint, fideliter scribantur. Qui liber iis tantum re-

bus que ad visitationem spe-

ctant, sit destina-

tus.

Quo

Quo modo eleemosyna seruanda, & in libro describenda, ut successoribus ratio reddi possit. Cap. 13.

VT ecclesiarum regimini, & illorum etiam piis mentibus, qui in ecclesie fabricam, ac ipsius luminaria, & ornamenta eleemosynas erogant, prouide ac prudenter prospiciatur, statuimus sancta approbante Synodo, ut in singulis ecclesiis omnes eleemosynae, que ad predicta pia opera datae fuerint, in arcam unam reponantur, que tribus clauibus obseretur: quarum unam Rector, vel eius Vicarius penes se habeat, alteram Iurati ipsius oppidi, tertiam vero fabricae praefectus, quem operarium fabricae dicimus. Quae quidem arca, ubi in ipsis Sacristiis seruari solet, ibidem etiam id in posterum obseruetur. Alio qui, praesertim ubi non erit tutus in ecclesia locus, fabricae praefectus arcam ipsam domi suae diligenter custodiendam curet. Quoties vero predictae eleemosyne

B 2

in eam

in eā reponentur, quod fiet præfente Curato, vel eius Vicario, Curatus ipse, seu Vicarius omnium, quæ reposita fuerint, summam in libro, qui in ipsa arca ad eam rem inclusus seruabitur, sedulo describet. Ex quibus eleemosynis si magna aliqua portio insumenda erit, id cum Prælati, vel eius Vicarij, etiam si foraneus sit, facultate, & non aliter fiat. Porro ipse fabricæ præfectus, & qui ad ornamenta conficienda eleemosynas petit, qui etiam ad Christi corpus honorificè colendum, & ad beatæ virginis facellum decorandum, & alia pia opera eleemosynas colligunt, librum habeant, & successoribus præfente parochio rationem reddant. De his verò omnibus Visitator in ipsa visitatione inquirat. Quæ si minus fideliter curata viderit, ea remedia adhibeat, quæ rei cõuenire iudicabit.

De absolutionibus in die commemorationis defunctorum: Et eo die non aliam quam conuentualem Missam esse decantandam. Cap. 14.

Illud

Illud certè longè à Christiana pietate est alienum, eo tempore, quo Deus præcipuè orandus est, litibus & controuersis sacra templa profanari. Quod eo die accidere solet, quo defunctorum cõmemoratio in ecclesiis agitur, dū alter alteri in ipsis absolutionibus vult præferri. Quare sancta approbante Synodo, præcipimus, vt cūm generales absolutiones eo die in ecclesiis fient, generatim sine vilo personarum discrimine fiant. Deinde verò liceat ad facella, iuxta eum ordinem, quo sita sunt, nulla antiquitatis ratione habita diuertere: non obstante cõfuetudine vlla quam potiùs corruptelam dici debere censemus. Capitulum, ac etiam parochus, si minus præfenti decreto paruerint, decem libras pendant: reliqui verò huius constituti ordinis perturbatores sententia excommunicationis, & aliis poenis arbitrio Ordinarij imponendis afficiantur. Vt autem tumultus ille cesset, qui ex pluribus simul decantatis Missis in ecclesiis orie-

B 3

batur

batur, præcipimus, vt Missa tantum con-
uentualis eo die cantetur: reliquæ verò
submissa voce celebrentur, vel in alium
illius octauæ diem differantur.

*De monumentis, quæ immoderatis sumpti-
bus in quadragesima construi solent.*

CVM magna illa, & summo artificio
elaborata ædificia, quæ Dominicæ se-
pulturæ monumenta vocamus, multo la-
bore, immoderatisq; sumptibus constru-
antur, & eo tempore fiant, quo diuina of-
ficia in quadragesima ipsorum fabricatio-
ne maxime perturbari solent; quin & ali-
quando inani quadam contentione horum
autores de reportanda victoria certare
inter se videantur; æquum certe iudicau-
mus his modum aliquem ponere, quo &
fidelium deuotioni satisfiat, & hic exces-
sus ad iustam aliquam rationem reduca-
tur. Quare sancta approbante Synodo
statuimus, vt in posterum huiusmodi mo-
numenta in vnam certamq; formam se-

mel

mel redacta, quæ vel sacelli alicuius mag-
nitudini aptari possit, vel alteri loco, vt
commodius pro templi ratione visum
fuerit, in alios sequentes annos conferue-
tur, lignea ipsa materia elaborata apto &
competenti loco custodita: vt & paucis
impensis, & duorum, aut trium dierum
tantum spacio erecta, minus negotij ec-
clesiis exhibeant, & toto illo quadragesi-
mæ tempore sacra ipsa tranquillius pera-
gi, ac celebrari possint. Fabricæ præfecti,
qui huic nostro mandato non obedierint
aureis quinquaginta mulctentur: quos
eidem ipsi fabricæ deputamus.

*Laicis & feminæ quibus locis in tem-
plis prohiberi debeant.*

Cap. 16.

CVM deceat omnia in ecclesiis decen-
tiori ordine esse constituta, præcipimus,
ne laici in choro inter presbyteros sede-
ant, aut illorum sedilia occupent: ac ne
fœminæ in quibuscumque ecclesiis intra
cancellos sacelli maximi, vbi virorum,

B 4 confes-

confessus esse solet, ad sacra audienda ingrediantur.

De seruandis ornāmētis, quæ beneficiis sunt addicta: & ne pretia censualium, cum redimuntur, in beneficiati, aut patroni potestātē veniant: neq; censualia fiant sine depositi clausula, aut sine Ordinarij decreto redimātur. Cap. 17.

CVM beneficiatorum in curia, fortē etiam fraude ornāmēta beneficiis addicta amitti aliquando videamus, decernimus, vt omnis beneficiatus intra tridū a beneficij accepta possessione calicem, cæteraq; ornamenta ad beneficiū spectantia in inuentarium redigat, & de his omnibus fideliter custodiendis tutam cautionem exhibeat. Quod quamdiu non præstiterit, saltem calicem ipsum in Sacristia reponat. Hoc etiam præcipientes, vt cū beneficij curati, vel simplicis censualia redimentur, eorum pretia in ipsius beneficiati, vel patroni potestātē minimē veniant: sed in Sacristiis, vel aliis Rectoris & bene-

beneficiati iudicio tutis locis, nulla ob id facta impensa, deponantur, donec alij redditus emi possint. Curatus, vel beneficiatus, siue patronus, qui censualium pretia penes se receperit, excommunicatione lata sententię sit deinctus. Hoc itidē sub eadem pœna addentes, ne huiusmodi censualia conficiantur sine depositi clausula, qua deponendæ in loco tuto pecuniæ, cū censuale redimendum erit, obligatio contineatur. Deniq; præcipimus, ne in hac vrbe, vel oppidis interstitio leucarum quatuor circa eam sitis huiusmodi censualia redimantur, vel alij redditus emanent sine Ordinarij decreto. In aliis verō huius diœcesis ciuitatibus, aut locis id nō aliter fiat, quā parocho rem approbāte: quōd si ad ipsum parochum res pertinebit, id fiat Iuratis loci consentientibus.

Parochi in quadagesima confessores habeāt & quo studio ac diligentia ad Sacramenti pœnitentię administrationē

vti debeant. Cap. 18.

Compertum sanè est omnibus, quanto studio ac diligentia administrationi Sacramenti pœnitentiæ parochi incumbere debeant eo potissimùm tēpore, quo fideles ex Ecclesiæ præcepto ad peccatorum suorum confessionem faciendā obligantur. Parochis igitur omnibus præcipimus, vt ipso statim quadragesimæ initio pro populi multitudine, vnum aut plures secū habeant, qui subditorum confessiones audire possint. Quorum numerum procedente quadragesimæ tempore, quo populus frequentius ad hoc sacramentū percipiendum conuenire solet, si res ita exegerit, augere debeant. Vt autem seruato ordine facilius hoc sacramentū omnibus administrari possit, Curati principio quadragesimæ per vicos, ac etiam domos vnum, certumq; diem mox à his, modo aliis designent, quo ad confitendum peccata se conferant. Qui si eo die non ierint, alio certè die, qui reliquis destinatus erit, illis meritò cedere debebunt.

Prima

Primo igitur quadragesimæ sabbato proximè sequentem secundam feriam aliquibus designent, atque ita procedente quadragesima alios dies aliis deputent. Hoc enim studio & diligentia fiet, vt nullis ad faciendam peccatorum confessionem locus desit. Quia verò intelleximus, in quibusdam nostræ diœcesis ecclesiis ministrum, quem Scholanum vocamus, suum munus ob minorem ætatem exequi non posse, mandamus, vt is in posterum habeatur, qui & deferendæ cruci, & aliis faciendis, quæ ministerio ecclesiæ sunt necessaria, sufficere possit.

De cereis candelis, quæ dum sacra Eucharistia sumitur, parochis offeruntur.

Cap. 19.

Abusus quidam in nonnullis Ecclesiis inoleuit, vt, cū in illis Eucharistia sacra ministranda est, parochi cereas candelas, quæ ipsis postea offeruntur, populo vendant: quod ne in posterum fiat, districtè

districtè mandamus: ac multò minus, cum
ipsis iam semel oblatae fuerint. Oportet
enim omnem turpis lucris speciem potis-
simùm in administratione sacramentorù
prorsus esse sublatam. Qui aliter egerit,
solidos viginti soluat.

*Quae parochiis propria esse debent, in mona-
steriis ne fiant. Caput. 20.*

CVm hæc ex iure cõmuni ad parochi-
orum munia pertineant, populo festa
indicere; sacram Eucharistiam, quãdo ex
prẽcepto Ecclesię sumitur, illi ministrare,
oblaciones ab eo recipere; ob campana-
rum pulsationem aliquid iure exigere, &
similia; quæ tamen in quibusdam mona-
steriis non aliter fieri audiamus, quàm si
parochiales ecclesiæ essent: ideo illorum
monasteriorù præfectos in Domino hor-
tamur, ne hæc in posterù fieri permittãt.
Alioqui id remedij pro nostro munere
adhibere curabimus, quod rei consenta-
neum & conueniens esse iudicabitur.

Corpo-

*Corpora ne exhumentur sine facultate
Ordinarij. Cap. 21.*

CVratis omnibus mandamus, ne vn-
quam sine facultate Ordinarij in suis
ecclesiis corpora exhumari sinant. Qui
non paruerint, arbitrio Ordinarij pro ra-
tione delicti puniantur.

*Quomodo Curatorum domus, & aliæ, quæ
beneficiis ecclesiasticis sunt annexæ, re-
parandæ sint. Cap. 22.*

QVoniam Curatorum domus, ac illæ
etiam, quæ dignitatibus, Canonicati-
bus, vel aliis beneficiis sunt annexæ, pos-
sessorum incuria eò redigi solent, vt rui-
nam planè minentur, & aliquando etiam
omnino concidant; præcipimus, sancta ap-
probante Synodo, vt simul atq; beneficij
curati, vel alterius beneficij, cui domus
aliqua sit annexa, possessionem aliquis ac-
ceperit, sedulò statum ipsius domus expẽ-
dat. Quam si ruinofam viderit, & repara-
tione aliqua indigere, taxandum atq; æsti-
mandũ omnino curet, quanti domus ipsa
instau-

instaurari possit: & ex bonis defuncti Curati, vel Beneficiati eam reparari, ac reficiat. Qua in procuranda, & conficienda, si negligens fuerit, sciat, se à nobis cogendum, ut propriis impensis domum ipsam instauret: ut ita & suæ negligentiae poenam ferat, & domus ipsa, ut par est, reficiatur.

Domini temporales primitias, ac decimas suorum locorum conducere prohibentur. Cap. 23.

Quia oppidorum, vel quorumcumque locorum domini temporales, cum territorij sui decimas conducendi facultatem habebant, quam ius arrendamenti vocamus, multa aduersus decimarum iura moliebantur, prudentissimè Apostolico indulto Sixti Pontificis Maximi sub anathematis etiam poena cautum fuit, ne domini temporales primitiarum, vel decimarum, quæ ex ipsorum locis colliguntur, negotiis per se, vel per alios se quacumque ratione immisceant. Nos igitur id etiam

requi-

æquissimum esse iudicantes, Sixti bullam typis excudi, & sub festum Natalis Domini in templis à Curatis publicari mandamus: illud itidem adiicientes, ne alicui primitias, vel decimas ex aliquo loco colligendi ius solenniter tradatur, qui non iuret prius, nihil se in hoc iure procurando egisse, quod Sixti Pontificis Maximi indulto repugnet. Cuius contrarium, si quando constiterit, temporalis ipse dominus, & supposita illa persona excommunicati publicè declarentur.

De executore iurium decimarum, & eius ministris. Cap. 24.

Magno animi affectu desiderantes, omnes nostræ huius diocesis abusus prorsus conuellere; cum audiamus, inopes ab iis ministris, quos iurium decimarum executor adhæc iura exigenda mittit, valde opprimi; & plura ab ipsis pro suo ministerio exigere, quam iure sit eis permisum; statuimus, ne in posterum, quando

cum

cum diuersis mandatis ad diuersos mittentur, ex singulis integrum diei vnus stipendium accipiant: sed vt omnes, ad quos mandata vno, eodemq; die detulerint, totum vnus diei stipendium pro rata parte conferant. Eidem etiam executori, eiusq; ministris mandamus, ne pro re leui quempiam ex oppidis in hanc urbem venire compellant, nisi prius de ea re soluenda admonitus fuerit: ne ex leui culpa magnum stipendium patiatur. Mandamus etiam, ne vllus profana bona, perinde ac si decimae essent, foro executoris praedicti submittat, aut eius executione, vel mandato exigenda procuret. Qui non obedierit, lata sententia excommunicatur. Qui si criminis conuictus erit, ius actionis, quod in iudicio illo ad decimas exigendas alioqui haberet, amittat.

Iudices ne permittant excommunicatum actoris partes in iudicio agere. Cap. 25.

Cum eorum communione, qui publico edicto, & nominatim sunt excommunicati.

municati, omnes abstinere debeant; quod tamen a quibusdam iudicibus secularibus contemni intelligamus; illis sub excommunicationis latae sententiae poena precipimus, ne eum, quem praedicto modo excommunicatum esse sciuerint, actoris partes in iudicio agere sinant. Cum omnis actio in iudicio fit illi prohibita, quem communione fidelium ecclesia priuauit.

Eorum, qui communia hospitia habent, abusus quidam prohibentur. Cap. 26.

Omnia, quae aduersus bonos mores in hac nostra dioecesi inualuerunt, prorsus excludere cupientes, sub excommunicationis, & sex librarum poena mandamus, ne qui communia hospitia habent, foeminas prostitutas domicilium in ipsis habere, & turpi lucro operam dare permittant: cum id magno bonorum scandalo, & animarum detrimento fiat. Quia vero qui communia hospitia in publico, obscenoq; loco habent, prostitutas mulieres ita opprimunt, & in eam etiam seruitutem sepe redigunt

digunt, vt omnem ipsis recedendi à peccato viam intercludere videantur, sub excommunicationis poena illis mandamus, ne eiusmodi foeminas debitis, & ere alieno obstringant; aut vlla alia ratione opprimant, qua illarum salutem, & conuersionem aliquo modo possint impedire. Quia verò perueicax & obstinatus in peccando animus Deo execrabilis est, statuimus, hasce foeminas, quæ ultra biennium peccato insistere non verentur, exilio damnandas esse.

FINIS.

Actionis primæ.



Dum

C 2 Pius.

Dum hæc agerentur, Synodoq; collecta, iis statuendis, quæ ecclesiæ nostræ utilia essent, in eunti essemus, literæ à sanctissimo domino nostro Pio Quinto nobis datæ sunt. Quas tanta animi alacritate perlegimus quantam admirabilis in Deum tanti Pontificis pietas, & singularis erga nos beneuolentia & humanitas excitare in nobis debuerunt: vt verè ad ea prosequenda quæ inceperamus, & ad alia etiam maiora in ecclesiæ nostræ utilitatem meditanda, ac etiam deliberanda fuerimus plane confirmati. Vtinã Deus Op. Max. qui talem Christianæ Reipub. indulgit Pontificem, illum nobis diutissime seruet: facitq; vt tam felici Pontificatus initio optimus, & ab omnibus desideratus finis, quod futurum certo confidimus, respondeat. Ne vero ipsæ summi Pontificis literæ apud nos suppressæ laterent, eas typis excudendas curauimus, vt ex communi bono, communis etiam lætitia posset ad omnes peruenire.

PIVS, PP, V.



Venerabilis frater salutē,
 & Apostolicam benedi-
 ctionem. Post iniunctum,
 sicut Domino placuit, no-
 bis, licet indignis Aposto-
 licæ seruitutis officium,
 miserabilem ac luctuosum Ecclesiæ statum
 intentis mentis oculis non sine acerbissimo
 animi dolore, & gemitu contemplantēs, om-
 nes, qui in sollicitudinis nostræ partem voca-
 ti sunt; hortari, monere, & excitare compel-
 limur, vt ad sustinendam tanti oneris molē
 nobis adsint, & infirmitatem nostram sub-
 leuent: vt mutuo capitis, & membrorū au-
 xilio Ecclesia tot calamitatibus afflicta, &
 deformata, erigatur, ac reformetur: nec mi-
 nus a domesticis inimicis, quam ab externis
 hostibus defendatur. Vides, frater, quam lō-
 ge, lateque manauerint hæreticæ pestis vene-
 na: quantam hæreticis materiem ad perden-
 das Dominicas oves præbuerit pastorū neg-
 ligen-

gentia: & cleri mores deprauati, atq; cor-
 rupti: easdemque ob causas quantopere im-
 minuta fuerit laicorum deuotio, & aucta vi-
 uendi licentia. Illud quoque intelligis, ob pec-
 cata nostra, & populi Christiani quantopere
 diuinæ iræ flagella timenda sint. Ad tot,
 & tanta Ecclesiæ vulnera sananda, atque
 ita placandum Deum, vnum omnino reme-
 dium reliquum est, decretorum sanctæ gene-
 ralis Synodi Tridentinæ fidelis, & diligens
 observatio. Proinde Fraternitatem tuā hor-
 tamur, rogamus, & sub diuini iudicij obre-
 statione monemus, vt quæ in ea Synodo adeo
 mature, pie, & prouide, Deo auctore, consti-
 tuta, & decreta, & Apostolicæ Sedis au-
 thoritate confirmata, ac vbique obseruari
 iussa fuerunt, officij tui memor ad effectum
 adducere, & sine mōra exequi studeas. Et
 quia Pastores gregis forma esse debent, &
 ad sacerdotum vitam laici mores suos effin-
 gere, & conformare solent: clerum, & po-
 pulum tuum ab omnibus, quæ illos offendere
 possint, ipse abstinens, cum salutaribus mo-

nitis, atque præceptis, tum virtutum exem-
 plis ad pietatem, ad religionem, ad charita-
 tem fac excites. Clericis minus honeste viuen-
 tibus, opportune, & importune, ut sese cor-
 rigan, insta arguendo, obsecrando, increpan-
 do, & si opus fuerit, seuerius agendo. Semi-
 narium tanquam cleri ipsius sobolē in eccle-
 sia tua, iuxta Concilij Tridentini saluberrimū
 decretū vtiq; institue, ac diligēter tuere.
 Deniq; a commissis tibi ouibus hæreticorū
 tanquam luporum grassantium insidias per-
 uigili cura repelle: & ne qua ovis prauita-
 tis hæreticæ morbo laborans, cæteras conta-
 gione sua corrumpat, provide. Illud assidue
 cogita, ac meditare, post huius breuis, & fra-
 gilis vitæ curriculum, reddendam tibi de eis
 rationem fore summo illi, æternoque Pastro-
 ri, ac tremendo iudici. Cura igitur, ut cum
 ad eum veneris, non mercenarij segnis, negli-
 gentis que mercedem: sed boni, & fidelis ser-
 ui laudem, ac præmium accipere merearis.
 Ad munus autem nostrum implendum, si-
 cut tuam opem exigimus: ita ad pascendum

commissum tibi gregem, nostrum tibi auxi-
 lium pollicemur. Illud quoque diligenter, et
 sedulo curare te volumus, ut notitiā habeas
 clericorum non solum ciuitatis, sed etiam
 diocesis tuæ, quos constet esse catholicos,
 quique vitæ, ac morum honestate, & doctri-
 na, ad seruiendū Deo, & huic sanctæ Sedi
 sint idonei: ac delectu quodam eorū cū fide,
 & sine acceptione personarum habito, nobis
 indicem sigillo tuo obsignatū, & manu tua
 subscriptum, cum eorum nominibus, & lo-
 cis, vbi habitant, mittas. Nos enim ut com-
 muni omnium Parens, proborum virorum
 vbiunque sint, rationē habere decreuimus,
 & eorum opera vti, cum occasio oblata fue-
 rit, ad eas res, quæ ad Dei, & huius sanctæ
 Sedis obsequium pertinebunt. Dat. Romæ
 apud sanctum Petrum sub amulo Piscato-
 ris, die primo Februarij M. D. Lxvi.
 Pontificatus nostri anno Primo.

Ant. Florebellus Lauellinus.

40 ACTIO SECVNDA.
ACTIO SECVNDA
HABITA DIE NONA
mensis Maij, 1566.

*Curati extreme laborantes ad pie moriendū
gratis hortentur: & de eligendo vno
vel pluribus qui Rectorē in hoc
munere iuuent. Cap. 1.*



Vm ad Curatorum munus per-
tineat, eos, qui morti proximi
sunt, sanctis monitionibus ad
pię moriendum hortari, illis sacra appro-
bante Synodo præcipimus, vt id diligen-
ter, ac etiam gratis exequantur. Quod vt
facilius fiat, statuimus, vt in iis parochiali-
bus ecclesiis, in quibus numerosus est po-
pulus, & animarum cura ad totum clerū
spectat, singulis annis duo saltem eligan-
tur ex beneficiatis, qui in hoc munere vi-
sitandi & hortandi mortis periculo labo-
rantes, ipsum Prorectorē iuuent. In aliis
verò, in quibus gubernandæ parochię cu-
ra penes vnum Rectorem fuerit, & ipsa
parochia

ACTIO SECVNDA. 41

parochia domos quadringentas, aut plu-
res habuerit, teneatur Rector probum ali-
quem presbyterum eligere, qui iudicio
Ordinarij probatus, ipsum in prædicto
munere adiuuet. Qui & competens sti-
pendium à Rectore accipiat, & ad quoti-
dianas beneficiatorum distributiones ad-
mittatur. Ita tamen, vt vbi Rector ob pa-
rochianorum multitudinem Vicarium ha-
bere consuevit, etiam nunc Vicariū, præ-
ter hunc presbyterum, habere debeat: cū
huius presbyteri ordinarium munus fore
statuamus, extremē laborantibus adesse,
quando Rector ex officio suo aliud ege-
rit; aliis verò temporibus choro interesse
& non alias, quàm cum necessitas postu-
labit, Sacramenta ministrare.

*Missas, ad quas beneficiati obligantur, &
alia pia opera diligenter impleri
debere. Cap. 2.*

Cvm in aliis rebus negligentia plectē-
da sit, tum maximē in iis Missis cele-
brandis, quę à beneficiorum fundatori-

bus sunt institutæ, & beneficiatis, vt in animarum suffragium celebrentur, iniunctæ. Quare constitutionem Reuerendissimi Fra. Thomæ de Villanoua præcessoris nostri, quæ incipit, Non sine animi nostri displicentia; innouantes, & illi etiam, si opus sit, vim ac robur addentes, omnibus beneficiatis præcipimus, vt Missas omnes, ad quas beneficiorum nomine obligantur, celebrent; & alia etiam pia opera sedulo ac diligenter impleant. Ita vt Missarum dimidia pars singulis salté medijs anni partibus per actis sit celebrata, Rationalibus autem iniungimus, vt cum Missas beneficiatis ad celebrandum committent, eius obligationis, qua illi ad alias Missas nomine suorum beneficiorum sunt adstricti, rationem habeant; vt scilicet locus ad illas celebrandas semper eis relinquatur. Curent præterea sedulo eas Missas, ad quarum celebrationem absentes sunt obligari, à præsentibus celebrari, sumpta ex melioribus beneficij fructibus ea

por-

portione, quæ ad earum celebrationem erit necessaria.

Missas votiuas Rationali manifestandas esse, & earum eleemosynas a Receptore aliquo esse colligendas. Cap. 3.

VT Missarum votiuarum celebratio possit cum æquitate omnibus esse communis, ac ne piæ eorum voluntates, qui Missas celebrari faciunt, defraudetur; statuimus, Missas omnes votiuas à beneficiatis omnibus, substitutis, & aliis, qui in ipsa ecclesia solent sacra facere, ac iis etiã omnibus, qui eleemosynarias patinas circumferunt, sub excommunicationis poena ipsi Rationali esse manifestandas: qui eas in libro describat, & celebrari faciat, aliqua tamẽ illius ratione habita, cui primũ demandatæ fuerint. Harum autem eleemosynarum à receptore aliquo colligantur, quem clerus ad eam rem singulis annis eliget ea forma, quæ ad eligendum Rationalem in hac Synodo præscribetur. E singulis verò Missis votiuis nummus

vnus

44 ACTIO SECVNDA.

vnus defumatur, Rationali, & Receptori pro ipsorum ministerio tribuendus. Quae quidem ratione hic ordo in ecclesiis seruari, & illarum Missarum celebratio comode ac certo fieri poterit.

Missae conuentualis quota hora inchoanda sit, & ne in templis permittantur qui officia sacra perturbant. Cap. 4.

Missam conuentualem in quibusdam dioecesis huius ecclesiis nonnunquam, ferius quam conuenit, incipi intelleximus Idcirco statuimus sub duarum librarum poena, eam ab octaua hora vsque ad nonam nulla personarum habita ratione inchoari debere: ita vt inchoatum semel diuinum officium, nullius personae causa post inceptam tertiam interrumpatur. Intra ipsa verò templa parochi minime ferant aut laruatos homines, aut qualiscumque, alios qui officia sacra perturbent. Sed neque tormentis manuariis in sacris ipsis templis, neque sulphurariis machinis in campanarum turribus aliqui vtantur. Porro eius

modi

ACTIO SECVNDA. 45

modi tympana, tubae, & instrumenta alia musica, quibus recenter ad fidem conuersi frequentius vti solent, à Curatis in templis ne permittantur. In processionibus etiam, quae in oppidis fiunt, scloppetarij à nobis prohibentur.

Dum officia sacra aguntur, aut concio ad populum habetur, nulla solutio fiat: neque capitulum eo tempore congregetur. Cap. 5.

VT Chorus, cum diuina officia aguntur, haudquaquam deferatur, Rationalibus & Collectoribus mandamus, ne pro Missis, aut perpetualibus, aut aliis quibuscumque actibus, eo tempore quo diuina officia celebrantur, aut sacra concio ad populum habetur, vllam solutionem faciant. Si aliter egerint, poenam duarum librarum incurrant. Rectori verò & eius Vicario sub duarum etiam librarum poena precipimus, ne predicto tempore capitulum congregari sinant. Capitulum autem nunquam conuocetur, aut congregetur

getur, nisi prius de qua re in eo sit agendum. Rector, aut Curatus certior fiat. Cū verò iis, qui literis dant operam, omni ratione fauere cupiamus, placuit, eos quam diu audiendis lectionibus incumbunt, pūctum ad sequentē actum non amittere.

De Chori sedilibus, & altaris patena.

Caput. 6.

QUO tranquillius ac modestius omnia in Choro gerantur; & ne quæ sacro ministerio peculiari consecratione dicata sunt, parum decorē tractentur; mādamus ne in choro sedilia cum strepitu demittantur; ac ne patena osculi pacis gratia extra ipsum altare efferatur.

Quibus diebus qui publica ecclesiarum officia administrant, distributiones percipere possint. Cap. 7.

CVM distributiones quotidianas ij tantum iuste percipiant, qui diuinis officijs interfunt: sciant qui publica ecclesiarum officia administrant, se nō posse eas recipere, aut suas facere, nisi cū fuerint

suorum

suorum officiorum administratione occupati; non antem quando interesse sacris sine sui officij incommodo possunt. Neq; enim par est, vt is toto anno præsens choro habeatur, cui multis anni diebus licet ab administratione sui officij vacare.

De aqua benedicta. Cap. 8.

SOLent nonnulli aquæ benedictæ, dum ea in festis populo aspergitur, odoriferam aquã, & quã muscatam dicimus, permiscere: quem vsum ē nostris ecclesiis tolli volumus.

Festis præcipuis & solennibus Missam dici non esse omittendam. Cap. 10.

QUIA nō probamus illorum morem, qui in festo natalis Domini, & cæteris festis præcipuis ac solēnibus diei Missam prætermittentes, Missas alias celebrāt; id deinceps fieri prohibemus. Quod si eo die Missa annualis de alio festo celebrāda alioqui esset, sciāt, se Missa diei celebrata satisfecisse, dummodo pro illo offeratur, qui annualē Missam demandauit.

De

*De adiurationibus quæ fiunt ingruente
tempestate. Cap. 10.*

Curati quando tonitrua, fulgura, cæte-
ræq; tempestates ingruunt, execratio-
nibus & adiuratione procellosas nubes,
ipsamq; tempestatem nituntur dispelle-
re. Quibus præcipimus, ne extra ecclesiã
id faciant: sed in ipsa potius ecclesia ad sa-
cra, ac potissimum ad sanctã Eucharistiã
procumbentes, Deum obnixe orent, vt
qui ventis ac mari imperat, plebis suæ mi-
sereri, & tempestatẽ sedare, atq; arcere
velit. Hoc etiam addentes, vt omni super-
stitione reiecta, nõ alia precum ratione,
aut alio adiurandi modo vtantur, quam
eo, qui in libris nostris Ordinarij cons-
criptus est.

*Sacram Eucharistiã ad locũ incendiij, vel
inundationis non esse deferendam.*

Cap. 11.

Cum in ciuitatibus aut oppidis incen-
dia, vel inundationes accidunt, solẽt
curati ad eius incendiij, aut inundationis
locum

locum sacram Eucharistiã deferre qui-
bus præcipimus, vt in ipso potius templo
sacra Eucharistiã in altari posita, vna cum
clero & populo Deum, qui solo verbo sa-
nare potest, fide sincera, puroq; animo,
vt hæc mala auertat, piẽ ac sanctẽ precen-
tur.

*De fenestris, quæ intra templorum parietes
extremi solent. Cap. 12.*

Solent nonnulli templorum parietes
perforare, ibiq; fenestras extruere, è
quibus sacra audire possint. Cumq; ex eo
scandala, & incõmoda multa ecclesiis ac-
cidant, hæc in posterum fieri prohibemus.
Curatisq; & cleris districtẽ præcipimus,
ne deinde facultatem ad hæc cuiquam cõ-
cedãt. Quæ verõ hæctenus sunt extructe,
à nostris Visitatoribus visitẽtur, & in his
abusus omnes tollantur.

*De fœminis, quæ templorum parietibus cir-
cumseptæ degunt. Cap. 13.*

Fœminæ, quæ solent parietibus circũ-
septæ in templis degere, post hac non
D admit-

50 ACTIO SECVNDA.
admittatur. Quæ verò sunt iam in nostris
ecclesiis admittæ, visitentur, & Ordinarij
iurisdictioni subdantur, nisi expelli inde
maluerint. Missa verò apud eas ne cele-
bretur, nisi ipsis in mortis articulo consti-
tutis.

De Eremitis. Cap. 14.

Nullus in Eremitoriū admittatur, qui
non sit prius ab Ordinario vel eius
Vicario examinatus, nisi notus fuerit, &
cōmuni consensu probus habeatur. Por-
ro ipse Eremita illi curato, in cuius paro-
chia Eremitorium situm erit, nisi cū ali-
ud Ordinario visum fuerit, sit subiectus.
Exercere autem in Eremitoriis eos actus
qui Curatis sunt proprij; vel eremitoria
nova erigere; aut collapsa instaurare ne-
mo sine Ordinarij facultate ausit.

